69 18

# QUÆSTIO MEDICA

## CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 7. Martij.

## M. PETRO LEGIER

DOCTORE MEDICO, Præside.

*An balnei usu salubrior vita?*

I.

SALUBRE corpus actionum integritate definitur; si harum aliqua lædatur, jam insalubre dici meretur. Ponitur tamen affectio ab utroque extremo æquabiliter distans, in quo quasi nutat homo inter morbum & sanitatem; sed illa ad morbum vere pertinet, qui quidem minimus est. Cum aliqua pars in agendo impeditur, primo laborat illa, deinde quasi afflata contagione afficitur totum corpus, adeo ut cæteræ partes actionis libertate cadant. Sanguis enim refluus quasi contactus, à parte laborante miasmata abducit, aliis post modum nocitura. Quandiu una nutritio completur, viget floretque corpus, dolet vero si ipsa vel minimum impediatur. A vitiatâ nempe nutritione (causas violentas excipio) prima mali labes; inde & morbi & cujuslibet generis intemperies principium ducunt. Quo perfectior est sani-

tas, eo ſecurior ab his malis; quanto vero ab hac dignitate decedit, tanto ad eadem inclinat.

II.

ACTIONUM integritas ſalubris corporis & cauſa & ſignum; nec enim ſtat incolumis vita, niſi pars quælibet duplici opere adjunctione ſecretioneque ſibi & toti provideat, atque hoc eodem robur pulchritudoque corporis arguitur. Qui autem affectus alteri ſanus eſſet, idem alteri noceret. In bilioſo ſcilicet excellit calor, in pituitoſo remiſſior eſt, uterque tamen valet, quia debita eſt humorum commoderatio, & partes convenienti ſucco recreantur; nec ſine morbo alter in alterius temperiem tranſit. Hic à calore ille à frigore offenderetur. Unde ſymmetria in qua ſanitas collocatur, non abſolutè, ſed habita ratione ad corpus hoc vel illo modo coagmentatum æſtimanda eſt. Qualiſcumque tamen illa fuerit conſervatur congruenti ſex rerum non naturalium uſu, quas ſibi quiſque prout convenire experientia didicerit, admovere tenetur. Non enim hîc impune peccatur, ſed tanto inde graviora mala naſcuntur, quanto leviora principio videntur, negligentiuſque iis occurritur.

III.

INTER illa quæ bene conſtitutum corpus continent, balneum ultimo loco non eſt habendum. Fricțio quidem multa habet commoda, ſed hæc eadem inſunt balneo, quod etiam exercitationis vicem ſupplere poteſt, cum iiſdem muneribus beet. Illud aqua calida adornetur. Caloris menſura, ab eo qui uſurus eſt peti debet, adeo ut tantus ſit quantum ſuſtinere valeat. Moræ tempus notant vires, quantum ſcilicet ferunt, abluendum. Qui ab hoc puncto ultrà aut citrà divertit, aut

exoluitur, aut operam perdit. Omnis tempestas commoda, modo penetrabile frigus non adurat. Ne coctionis opus interturbetur, cibique male apparati per habitum rapiantur, balneum jejuno subeundum. In eo consistendum, nec pectus aut manus, aut pedes motu turbulento commovendi. Lautum corpus aut spongiis aut mollioribus linteis blandius detergere expedit; attamen si cutis sit durior & strictior, per quam non usquequaque liberum sit effluvium minimis excrementis, nihil vetat quominus asperius tractetur, quo in casu veteres strigilibus utebantur.

## IV.

BALNEUM aliud ad delicias quomodo veterum plerique & populi ad orientales & australes plagas siti usurpant. Aliud ad morbos edomandos, tertium est sanitatis tuendæ causâ. Hujus utriusque usus penes medicos est, quibus experientia compertum est cuilibet ætati lavationem convenire. Adeo ut Medicorum principes velint ut puer valetudinis ergo, lavetur. Frigidæ lotionem animalibus permittimus solis ardore exustis, qua interdicimus hominibus. Etenim si quod unum beneficium est, mundâ cute emergant, longe majorum malorum periculum incurrunt, ut cephalalgiæ, vertiginis, horroris. Non negamus tamen frigidæ solium nonnullis profuturum, quod etiam quandoque experientia declaratum est; at cum mortalium nemo corporum ἀλήθειαν intelligat, sapientis est præsidium nocuum, aut saltem non omnino tutum, reprobare. Aquæ medicamentosæ balneum, ut salsæ, sulphureæ, bituminosæ, nitrosæ, aluminosæ, ægros decet magis, licet sanos non offenderet, sed præstat illud quod calidâ aquâ temperatur.

V.

QUI vult itaque ſalubrius vivere, multas à balneo commoditates expectet. Cutis ſpiracula reſerat, flatus diſcutit. Vaporis in modum humorum exuperantiam, morborum brevi futuram matrem, minuit. Pigros interteſque ſuccos putredini proximos caliditate commovet, inquietos & prope igneos humiditate frænat & compeſcit. Alvinam regionem in qua redundant omnis generis humores nitefacit; ideo appetitum concitat, ſtomachumque ita afficit, ut cibos brevi comminuat diffundatque. Laſſitudinem ſoluit, roborat muſculos nervoſque. Seroſam illuviem quaſi ebiberet, articulos ab acrioris ſeri injuriâ, pectus à catharro, caput à gravedine vindicat. Tot & tantis bonis placidus ſuccedit ſomnus, qui carnes replet, habitumque adauget. Tandem balneum alacritatem, motuumque omnium libertatem largiendo, univerſum corpus firmat. Atque hæ ſunt dotes quibus gloriantur illi quibus balneum eſt familiare.

*Ergo balnei uſu ſalubrior vita.*

Aſſerebat Lutetiæ JOANNES-BAPTISTA RENATUS MOREAU, Pariſinus. A.R.S.H. MDCLXXV.

---

PARISIIS,

Apud FRANCISCUM MUGUET, Regis & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis Typographum.